



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Reverendissimo, Perillvstri & Amplissimo Domino, Domino Maximiliano,
Celeberrimi Monasterii Lambacens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)



REVERENDISSIMO, PERILLVSTRI &
AMPLISSIMO DOMINO,

DOMINO
MAXIMILIANO,
CELEBERRIMI MONASTERII LAMBACENS.
ABBATI VIGILANTISSIMO.

Domino in Au & Mühleiten, Sac. Cæs. Majestatis Consiliario, & ad Comitatus
Provincialia Austriae suprâ Onasum Commissario &c.

DOMINO, DOMINO GRATIOSISSIMO.

REVERENDISSIME, PERILLVSTRIS, & AM-
PLISSIME DOMINE, DOMINE & MECENAS
GRATIOSISSIME.

DIvi Benedicti, Patriarchæ tui sanctissimi, beatam Filiorum sortem, sortem Tribus Judæ existimo; ex Josuæ 15. Cap. Reverendissime, Perillustris, & Amplissime Domine Præsul. A terminis Edom, erunt termini in meridie mare magnum; hic erit finis plagæ meridiana. Ab oriente erit initium mare salissimum, & ea, quæ respiciunt Aquilonem, à lingua maris. Sed & circuit contra occidentem florentissima tua Religio, quæ omnem orbem complexa, terminos habet fines universæ terræ. Benedictæ hujus Tribus felicissimus Caleb, est sanctissimus Pater Benedictus: constituens partem in medio Filiorum venit ad habitatores Dabir, Josuæ 15. v. 15. Venit ad Cariath Sepher, id est, Civitatem literarum: Dixitque Caleb; qui percusserit Cariath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem: cepitque eam Othoniel, Filius Cenez, Frater Caleb junior: deditque ei Axam Filiam suam uxorem, quæ cum pergerent simul, suasa est à viro suo, ut peteret à patre suo agrum; suspiravitque: da mihi benedictionem; terram australem, & arentem dedisti mihi; junge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius, & inferius. Hæc est possessio Filiorum Juda per possessiones suas, citato Capite à versu 15. usque ad versum 21. Enimverò, Reverendissime, Perillustris, & Amplissime Domine: Quid aliud divus Patriarcha Benedictus, quàm felicissimus ille Caleb, qui in sensu literalis quasi cor; vir scilicet secundum cor Dei, ex millenis Israelitis cum Josue, terræ benedictæ ingressu à rerum Domino dignatus? quid Axa Benedicti hujus Calebi Filia, quàm Filia illa adornata (adornatam enim Axa signat in Hebraico) adornata videlicet tua
san-

sanctissima Religio, quæ Portentis virtutum, sanctitatis, miraculis, gloriâ, Thiaris, coronis, infinito Beatorum numero (numera stellas cæli, si potes) fulgidissima renitet. Quid Cariath Sepher, nisi civitas illa literarum, Cassinense institutum; civitas verè literarum, quæ Doctoratum, Universitatum, Abbatiarum, Episcopatum, Archiepiscopatum, Apostolatûs per orbem latè constituti amplissima Fundatrix in migrationibus suis & colonijs, multarum gentium, plurimorum Regnorum, & potissimum gloriosissima nostræ Germaniæ, imò totius Semptrionis conversionem operata, adeò per orbem terrarum felicissimè diffusa est, ut in omnem terram sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum optatissimo successu propagaretur. Quis fortunatissimus ille Othoniel, nisi Tu, Reverendissime, & Amplissime Præsul; mox enim ut Cariath Sepher, civitatem literarum, institutum videlicet Cassinense, Deo vocante & adjuvante, occupando, Axæ tuæ, sanctissimæ tuæ divi Benedicti Religioni per professionem Religiosam desponsatus es; morum integritate, & insigni vitæ sanctimoniâ præstans, omnigeno virtutum splendore conspicuus, postquam in Cariath Sepher apud Doctissimos Doctorem egisti, laudatissimam Doctoratus tui lauream Abbatæ Lambacensis Insulam es adeptus. Nempe Tibi divus Caleb, Benedictus Tuus, ab optimo Deo providit; deditque Lambacense cœnobium, irriguum superius, & irriguum inferius; in qua elevatis oculis Axæ Tuæ, benedicta, videlicet Religio fruitur terrâ amplâ, quæ universa irrigatur sicut Domini Paradisus. Hoc nempe felicissimum cœnobium Lambacense est irriguum inferius à Deo benedictum. Vetustissima scilicet illa Ovilabis, seu Colonia Aurelia, in historijs, & antiquitatibus Romanis famosa; quæ cum Laureaco à Marco Aurelio ante sæcula fundata, teste historiâ Herulorum, inter cætera Norici Ripensis municipia, Episcopum quondam loci, à Sancto Severino constitutum, Moderatum Nomine, diu aluit, & tandem barbarâ corruptelâ Germanicum nomen sortita, deletis primis vetusti nominis syllabis, & adjecto gentilitij rivi vocabulo, Labenbach; & tandem, Lambach nuncupata est; olim in sacris Canoniceorum directioni, in temporalibus, Comitum de Labenbach & Wellas jurisdictioni subdita, tandem per Adalberonem Episcopum Herbipolensem, Lambacij tunc & Wellasj Comitem divo Benedicto in hæreditatem cessit: adeò ut Ovilabis illa antiqua, cum Wellasio suo, seu Romanorum Falsiana, Maximiliani Cæsaris, & Caroli Victoriosi Lotharingiæ Ducis obitu celeberrima, veluti Romanorum olim Lentia superioris hodie Austriæ urbe Prætoria infinitis cæli favoribus etiamnum irroretur, non secus ac cælestis Domini paradysus.

Axæ Tuæ per Adalberonem donum ex literis fundationalibus colligo: cujus tenor, ut sequitur.

Ego Fridericus divini clementiâ, Romanorum Imperator, & semper Augustus; notum esse volumus omnibus Christi fidelibus, tam futuris, quàm præsentibus; qualiter Rex Henricus ob interventum dilectissimæ Genitricis suæ Agnetis, Imperatricis Augustæ, & ob petitionem felicitis memoriæ Adalberonis, Würzburgenis Episcopi Bannum mercati in loco Wellas, & teloneum in Lavenbach, & insuper Bannum piscationis de superiori casu, & in Ægram, ab Asintall, usque ad ea loca, ad quæ prædiorum suorum termini pertingunt, & ab Asintall sursum communem utilitatem usque ad portum Vecklaha, in Albana, in Rinbach, & iterum in Rintbach,

& in

& in Steinbach: nec non quatuor nemorum, unum ad Etherwalt, aliud in Puchelach, duoque vulgo sub appellatione, dicuntur superioris sive inferioris Hordis: cojure, quo parentes ejus, scilicet Avus Arnoldus & item Pater ejus Arnoldus Comes de Wellas, & Frater suus Marchio Godfredus, & ad ultimum idem Episcopus Adalbero eundem Bannum habuerunt &c. & quæ sequuntur.

Hoc est irriguum inferius, quod benedicente Domino ita crevit auctumque est per sæcula, ut Lambacum Tuum divi Benedicti Paradyfus passim habeatur, siquidem in delicijs, venationibus, piscationibus, fortunatisque possessionibus nulli vicinorum cœnobiorum est secundum.

Sed & dedit optimus Deus Irriguum superius Lambaco Tuo: cœlicos videlicet favores. Spiritualium nempe abundantiam Filiorum, benedictionem populi Tui, ubi sub longa Præstantissimorum Abbatum serie Filij Dei eunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Syon. Verè irriguum superius, ubi copiosa Sanctorum multitudo, amœna morum comitas, singularia ingenij acumina, gratiarum supernarum affluentia, omnigenarum splendor virtutum, singularium meritorum gloria, Spiritus sancti dona singula & universa redundant, ita, ut nullum desiderari possit Irriguum superius, quò sacratum Tuum Cœnobium non beetur, utpote ubi auctoritas Magistratus, felicitas regiminis, consiliorum gravitas, rerum gloria, ut olim præclarissimè, ita etiamnum per Te hodiè amplissimè promovetur.

Huic sacro irriguo Tu Reverendissime, & Amplissime Domine, Verus Othóniel, Felix Abbas præes dignissimè. Caleb ille Divus Benedictus, per vota Tuorum, constituit Te Præsulem Vigilantissimum spirituali Præfectura Magnificum, qui Regimini par, Pastorum Vigilum more, pertinaci diligentia supra muros Jerusalem evigilas tota die industriâ; tota nocte Divinis Laudibus in Psalmis, Hymnis, & Canticis, districti oris, & Verbi gladiò, ac spiritu, pro Irriguo Tuo excubas; Filiisque Tuos in spiritu incolumes probatissima solertia custodis, qui una Tecum laudes, & gloriam Dei tota die & nocte in perpetuum non tacebunt.

Profectò omnia Abbatis dignissimi ornamenta amplificas: Virtutem Tuam orbis manifestas. Prædecessorum Tuorum decora sicut amas, sic in Te omnes complecteris Amœnus, Amabilis, Suavissimus, Dulcissimus. Patriæ eâ prudentiâ consulis, ut ad majora Provinciæ munera jam adhibitus ad summa ejusdem unanimâ expectatione Candidatus dignissimus habearis.

Plura taceo, ne palpum me vel le obtrudere calumnia jactitet. Impius tamen forem Tuis virtutibus, si tacitus præterirem, quæ omnium conspectui oculisque sunt exposita. Antequam ad Insulam es evectus, egregiæ pietatis, ac eruditionis studia fovisti. Is profecto es, qui studiosos omnes, honestas & communi bono utiles disciplinas magno favore prosequeris; qui prudentissimum, exploratissimum consilium, & in rebus gerendis dexteritatem nactus propensissimo affectu, Doctos omnes in honore habes, eosque benignè suscipiens, toto & amabili complecteris affectu.

Pridem jam è Divi Benedicti Regula foribus Tuis Religiosis affixum est Benedictinum illud ad suos Filios decretum; hospites sicut Christum ipsum suscipite. Decreto huic Benedicto Tu liberalissime hospitem Pater obedienter obsecundans sumos & infimos, ipsos etiam Augustos & Serenissimos secundùm Divi Benedicti mentem adedò opiparè excipis, ut Coronæ Regiæ in hospitalitate Tua deligiantes, & munifi-

centiam benedictam extollentes danti dabunt, & refundent, uti Evangelium promittit. Experta nuper est Serenissima Hispaniarum Regina, Serenissimi Caroli Tertij Hispaniarum Regis, earumque & Indiarum Hæredis, Gloriosa Sponsa Elisabetha, Christina, è Ducibus Brunsvico-Wolffenbüthelianis Lectissima Princeps, quæ in Lambaco, Irriguo hoc Tuo, quasi in Paradyso Domini sibi complacuisse, benignitatem sui Hospitis Augustissimis Cæsareis Majestatibus scriptis desuper literis Grata Hospes dilaudavit.

Huic ergo pio Benedictinæ Familiæ inseparabili Decreto (hospites sicut Christum ipsum suscipite) confisum volumen hoc, Lambacenses Lares audacter subit & sacratis Tuis pedibus adgeniculatur, hujus omnino audaciæ, quod certò credat, Tibi molestum esse, quemquam timore à Tuo præstantissimo aspectu averti. Nostrum ergo est, Excelsam Tuam Dignitatem reverenter adire; Tuum verò alacri, & jucundo vultu nos ipsos admittere comitate Tuâ, Augustum Cæsarem imitato, qui libellum tepidè porrigenti, quod manum nunc proferret, nunc retraheret, interrogavit; quid putas: Te dare assem elephant! quasi molestum esset optimo Principi quoddam, timeretur; sic & Tibi. Veniâ ergo digni sumus, quod hos posthumos egregij Authoris labores Tuis gratijs consecremus. Tua enim clementia, benignitas, animi candor, & virtutum eminentia, ob quam tota Te patria suspicit, sperare jubet, quod meritæ authoris patriotæ memoriæ gratificaberis. Merentur consecrati Deo seduli labores, & continuæ lectionis diurnæ nocturnæque elucubrationes, non mediocris eruditio, quam magno studio optimus scriptor triginta & pluribus annis lustrare, illustrare, excutere, oppugnare, propugnare continuavit. Vicit humanam labor ætatem; sed non vincitur grata posteritas. Tu Præsul Musophile, beneficentiæ fontes aperis, ad utile docentium & discipulorum decus, vel ex hoc ipso, quod Tuo Nomini consecratur, doctis omnibus placiturum.

Supere est, ut qui Te vivere felicissimè, cupimus & optamus, in magnum universæ Ecclesiæ & Ordinis Tui decus diutissimè superesse ferventissimè precemur. Vive igitur Reverendissime, & amplissime Domine: Monasterium Tuum amanter protege; & Patriam nostram pro Tuis magnis viribus dignus Patriæ Atlas constanter tuere. Sed & Septentrioni Divi Benedicti Tui polari stellæ (cujus Filij illum ex Benedicti instituto Apostoli Corbejenses, cum Anglis, Scotis, Hybernis, Germani, sanguine & doctrinâ irrigârunt) amanter fave: orere etiam illi Tuis benignis gratijs & cceptæ novellæ foundationi, ut adolescat gratiosè prospice: cujus potissimum de causa volumen hoc, una & Societatem meam, meque, meosque demississime Tibi dico, consecroque. Lincij Austriae, in Festo Sancti Erici Regis. 18. Majj 1703.

Reverendiss. Perillust. & Ampliss.
Dominat. Vestræ

Servulorum Infirmus
Authoris ultimæ voluntatis Executor. S. J. S.